

B.M. II, 293. De Legib[us] & eorum interpretatione.
S. 56, 22.



RECTOREM
ACADEMIAE MAGNIFICVM

REIPVBL. VTRIVSQUE
PATRES CONSCRIPTOS
CVM FLORENTISSIMA
GENEROSISSIMORVM NOBILISSIMORVMQUE
COMMILITONVM CORONA

AD

ORATIONEM
PROFESSIONEM

TIT. DE V. S. & R. I.

A V S P I C A B I T V R

AD D. VI. IVN. POST HOR. MATVT. VIII.

SUBMISSE ET PEROFFCIOSE

I N V I T A T

D. IOANN. FRID. OLEARIVS, P. P.





Vod si antiquitatum monumenta evolvamus, exinde edocemur, saepius in Leges iuratum fuisse; hinc quoque Lege Agraria cautum esse legimus, ut, qui in eam non iurasset, ei aqua & igni interdiceretur. Dionys. Halicarn. Lib. 6.
Antiquit. Itaque Q. Metellus, ne in Leges Gracchanas, quas Apuleius Saturninus per vim afferrere conabatur, juraret, in exilium abire maluit sibique potius de patria, quam de sententia decedendum putavit. Flor. Libro III. c. XVI. Haud vero difficile est causam huius iuris iurandi indagare, enimvero hac ratione perpetuam Legibus autoritatem conciliare nitebantur, ut ne populo Romano liceret eam legem abrogare. conf. Anton. Augustin. de Legib. I. 1. c. 15. Existimatum igitur fuit, magno detimento rem publicam affici, si cives ad leges abrogandas nimis propensi esse coeperint. Huc pertinet, quod M. Cato contra abrogationem Legis Oppiae peroravit: *Quam acceperitis, iussi suffragiis vestris Legem, quam usu tot annorum & experiendo comprobavistis; hanc ut abrogaretis, id est, ut unam tollendo legem caeteras infirmeatis.* Quid attinebit universos rogare Leges, quas mox abrogare, in quos latae sunt, possint? conf. Liv. Lib. 34. c. 3. Quem in finem post ius iurandum Leges quoque in aë incisae fuerunt, ita ut oculis omnium civium patere possent. Quod Cicero in Philippic. 1. confirmavit: *Quae ille, inquit, in aë incidit, in quo populi iussa perpetuasque leges esse voluit, pro nibilo habebuntur?* Quamvis vero e vestigio ad Legis abrogationem vel eiusdem derogationem properare velle haut consultum esse videatur, cum non possint omnes articuli singulatim aut Legibus aut Senatus consultis comprehendendi. conf. I. 10. ff. d. *Iust. & iur.* Legislatoris tamen officium est, quod lege comprehendi non potuit, aqua supplere interpretatione. Civitas enim licet optimis Legibus

sit fundata, quibus nihil singi possit salutarius: nisi tamen sint, qui eas custodiant, quique necessitate id urgente iusta interpretatione Legibus lucem foignerentur, frustra rogantur leges, frustra

--- verba minantia fixo

AERE leguntur.

Evidem extra omnem controversiam positum est, receptis legibus utendum esse, ita, ut Iudices & Icti ne latum quidem unguem ab iisdem recedere possint, cum non de legibus, sed secundum ipsas iudicare debeant, etiam si durae sint, & non nemini acerbae. Nulla Lex, inquit Livius XXXIV. III. satis commoda omnibus est, si modo maiori parti & in summam proficit. Nihilominus, cum leges obscuritatibus ita involuta sint, ut omni adhibita diligentia & circumspectione verum Legis sensum eruere haud licet; tunc Iudicem ad Legislatorem recurrere oportet, qui legis mentem optime explicare, aut eius duritiem ad regulas aequitatis reducere potest. Legislatorem igitur ad interpretationem hisce in casibus accedere debere, indubitati iuris est, cum interpretatio Athentica non alium admittat, quam ipsius Legis auctorem a. l. 16. ff. d. LL. Quapropter cum in Instr. Pac. Osn. & Mon. art. VIII. §. gaudeant, potestas legis ferendae & interpretandae invicem conjunctae fuerint, nullum dubium superest, Imperatorem publicam Imperii legum interpretationem authenticam cum consensu Statuum fuscipere debere. Haut abs re igitur fore existimarent Status Evangelici, ut Capit. Leop. art. 2. expresse verba sequentia infererentur: *Quod Imperator interpretationem constitutionum imperii, & in specie instrumenti Pacis sibi soli exclusis Statibus imperii afferere nolit.* Quamvis vero potestas interpretandi Leges Imperatori reservata esse videatur. Rec. Imp. d. 40. 1541. §. Doch haben wir. Id tamen ita intelligendum est, si consensu Statuum Imperatori haec potestas relata fuerit. conf. Limn. ad Cap. Caroli V. art. 2. n. 6. seqq. Cum vero Statibus imperii ius LL. rogandi in territoriis suis competit, ita ut ne quidem Imperatoris confirmatione opus habeant, conf Myler ab Ehrenbach d. Princ. & Stat. Imp. P. 2. c. 39. quin ob hanc causam authenticam interpretatione uti possint, nulli dubitamus. conf. Dn. Stryck. in Uf. mod. L. 1. t. 3. §. 7. Legislatori igitur asserta hac potestate, in Legum interpretatione id, quod iustum & aequum est, praecipue attendere debet, ne scilicet leges suas tantummodo ad praerogativa sue iura trahat, & prope torqueat. Cuius requisiti haut immemorem fuisse Constantimum Imperatorem certum est, cum in L. 1. C. d. LL. interpretationem a Legislatore factam inter aequita-

tem

tem & Ius interpositam esse velit. Quae vestigia quoque Fridericus Imperator apud Rademicum L. II. c. 3. legit: *Sive ergo nostrum Ius, inquit, sive veterum ius in scripturam redigatur, in eius constitutione & interpretatione considerandum est, ut sit honestum, iustum possibile, necessarium, utile. conf.* Gerh. d. Magistrat. Polit. §. 260. Quam aequitatem circa interpretationem Legum penalium praecipue commendat Grot delur. B. & P. L. 2. c. 16. Verisimilium enim est illud Taciti: *Flagitia sine modo sunt, suppliciis ac remedii principis moderatio temperat* A. L. 3. c. 50. Cum vero Interpretatio haec a Legislatore facta, vera & infallibilis esse censeatur; necesse est, ut Legis rationi congruat. Hinc neutiquam Leges aut edita authentica interpretatione in quocunque detorqueri possunt sensum Pufend. de Off. Hom. & Civ. c. 17. §. 8. Legis autem ratio duplex potissimum est, una, quae Legislatorem ad rogandam Legem impulit; altera, quam ille per legem intendit; utraque sane authenticae Legum interpretationi suppetias ferre debet. Quae si ad amissum haut observentur, contra Legem committere videtur, qui praetermissa Legum ratione interpretationem suscipere velit. conf. Dn. Thomas. Inscr. Iuriuspr. Div. L. 2. c. 12. §. 10. Vtunque sit, nonnunquam tamen circumstantiae bene attendendae sunt, ita ut Leges temporis quoque accommodari debeant. Inde evenit, ut Graeci id genus Legum positivarum: *ἐνημερωταί βίος ἡγεμόνες, inventa vitae ac temporis nuncupaverint.* Quod si igitur Legislator expenderit, Legem Civitati in praesenti summam conciliaturam esse perniciem, iuxta intentionem primi Legislatoris declaratione suscepit; neutiquam ipsi vitio verti poterit, si Legem ita emendare apnitatur, ut praesenti civitatis statui conveniat. Dicatum vero fuit, eo in casu ad Legislatorem interpretis officium pertinere, cum leges ita obscuritate laborent, ut arte rectae interpretationis frustra adhibita legitimo modo genuinus Legis sensus erui nequeat. conf. Dn. Rebhan d. Interpretat. Iur. obscur. Th. 43. Evidenter Solon celeberrimus iste Legislator nunquam non id sedulo operam dedit, ut quavis ratione Legum obscuritatem evitaret. *Quem in finem Leges apud Iuratos non tantum ferri volevit, sed praeterea quoque eas ante Statuas Heroum, a quibus cognominatae Tribus fuerunt, proponi, & scribae tradi curavit, qui in concionibus eas praelegeret, ut ita resciceret, utrum Leges novae omnibus perspicuae essent, nec ne.* conf. Meurs. Solon. c. 21. Id tamen inficias ire haud licet, saepius omni quoque circumspectione adhibita successu temporis Leges in obscuritatis vitium degenerare. Recte vero obscuritatem Legum a qua-

tuor rebus originem ducere existimavit Franciscus Baconus de Verulamio
Serm. fidel. 61. aphor. 52. vel ab accumulatione Legum nimia, praesertim
admixtis obsoletis; vel a descriptione eorum ambigua, aut minus perspicua
& dilucida; vel a modis enucleandi Iure neglectis, aut non bene institutis;
vel denique contradictione & vacillatione iudiciorum. Praeterea quo-
que vel nimia brevitas, vel quoque abundantia & superflua verba Legum
intellectum ita ambiguum atque obscurum reddere possunt, ut nemo pos-
sit percipere, quid Legislator intenderit. Nec minus supervenientes cu-
iusdam casus circumstantiae (Graeci τὴν ἐκ περιστάσεως μάχην appelle-
lant) Legem saepius ita difficultatibus implicant, ut nulla medela praeter-
missa Principis Legislatoris interpretatione authenticā eidem afferri possit.
conf. Pufend. d. Iur. Nat. & Gent. L. 5. c. 12. §. 7. quia enim casus nec
praevideri omnes possunt, nec exprimi, ideo libertate quadam opus est exi-
mendi casus, quos, qui locutus est, si adesset, eximeret, quod tamen temere
fieri non debere bene monuit Grot. Iur. B. & P. Lib. 2.c. 16. §. 26. Ast vero non
tantum ob Legum obscuritatem Legislator interpretis officium obit, sed
quoque Legum durities autoritate ipsius emendetur. Enimvero rigor
Iuris a ICto refineri debet, si verba clara sint atque perspicua, cum iudici-
bus vel aliis de Iure respondentibus sib̄ aequitatis specie in hanc vel illam
sententiam detorquere quamlibet Legem integrum esse non debeat. Hinc
Vlpianus in L. 12. ff. Qui & a quib. manumitt. ita pronunciavit: *quod qui-
dem perquam durum est, sed Lex tamen ita scripta est.* Principis igitur of-
ficium est, ut interpretatione sua subveniat, & Legem cum aequitatis regu-
lis conciliet. Bene Hug. Grot. d. I. B. ac P. l. t. c. 4. §. 7. ait: *Ferri Leges ab ho-
minibus solere ac debere cum sensu humanae imbecillitatis.* Quam ob-
servationem interpretationi quoque Legum inservire posse solide demon-
stravit Boecler. in Instit. Polit. L. 2. c. 3. Non causa vero subest, ut ea,
qua tradita fuerunt, pluribus comprobare exemplis satagamus. Ipse e-
nim Serenissimus Legislator Saxonius Legis rigorem ita lenire clementis-
sime voluit; Nam cum olim Bannum Saxonicum saepius appellatum fu-
isset: *Des Reichs Acht/it. des Reichs Ober-Acht / Gloss. LXX. Lib. 3.
art. 34.* exinde magnae autoritatis Doctores sententiae patrocinari coepe-
runt, quasi hisce verbis, unicuius facultas fulmine banni percussum pro-
arbitrio occidendi concessa fuisset. Ast vero *Decis. Elec. 77.* id ita miti-
gatum fuisse deprehendimus, ut bannitum impune offendere non liceat,
cum inter bannum imperiale & Saxonicum manifesta constituta fuerit dif-

fc-

ferentia. Praecipue quoque interpretatio avthentica circa Privilegia se exserere solet, quae licet Lege XII. Tabb. prohibita fuerint: Privilegia ne irrogantio. Successu tamen temporis Iura permiserunt, ob favorem personae reive, vel ob utilitatem & necessitatem Privilegia tribui. Jacobus Gothofredus *Fragm. XII. Tabb. annot. ad Tab. 9.* Quotiescumque ergo de mente vel sensu Privilegii inter subditos contentio oriatur difficultas, quae ex Privilegii verbis neutiquam decidi potest, tum eius interpretatio ad ipsum principem tanquam autorem privilegii spectat. *cap. 12. X. de Iudic. L. 191. ff. d. R. I. Carpz. P. II. C. 6. def. 8.* Evidem Pontificiis sibi persuasum habent, olim nec Leges valuisse contra Canones, nec quoque Principes interpretationem aliquam iis applicare potuisse. conf. Petrus de Marca, *de Concord. Sacerdotii & Imperii cap. n. §. 6.* Ast vero haec sententia nullum praesidium invenit in *L. 12. §. 1. Cod. d. SS. Eccles.* quippe quae de illis Sanctionibus Pragmaticis tantummodo sermonem instituit, quae contra Canones ecclesiasticos interventu gratiae & ambitionis elicite furerunt. Leges igitur contra Canones Ecclesiasticos quoque valere, imo interpretationem eos recipere, ratio Iuris fudet, cum etiam Canones Ecclesiastici vim aemum Legis proprie dictae acciperent, si ab Imperatoriis essent confirmati. Neutiquam vero Pontificiis concedi potest, Imperatores olim sibi facultatem de rebus ecclesiasticis disponendi abiudicasse. Ex eadem enim ratione contra Canones Ecclesiasticos nihil temere constituere voluerunt, qua contra Leges civiles nihil se admisuros esse fidem suam obstrinxerunt. conf. Dn. Boehmer. *in Amorat. ad Petr. de Marc. c. 1.* Quid vero circa interpretationem Legum fundamentium a Principe factam obtineat, explicavit Boeler. *Instit. Polit. L. 2. c. 3. Philipp. Iij. Praef. Instit. L. 1. Tit. 2. Eccl. 12.* Causis igitur interpretationis avthenticae breviter expositis; necessaria eiusdem requisita prolixius deducere liceret. Sed cum praeter opinionem materia iam excreverit, id tantum adhuc admoneatur, Legislatorem interpretarem legum id prae-
cipue cavere debere, ne Legi quavis ratione vis inferatur. Ita Caligula Imperator iniquitatis notam vix effugere potuit, cum nepotibus eorum, qui pro se & posteris civitatis ius impetraverant, ius civitatis denegaret, hanc causam interferens, posteros ultra primum gradum intelligi non debere. Sveton. *in Calig. c. 38.* Enimvero cum in posterorum voce nulla constituta sit obscuritas, Caligulam omnino ratione ita interpretandi destitutum fuisse censuit Dn. Thomas. *Instit. Iurisprud. Div. L. 2. c. 12. §. 175.*

Caete-

QK 774695

x 2940485 1018

Caeterum extra omnem controversiam positum est, interpretationem a Legislatore factam perpetuam esse, & ad omnes subditos extendi, qui ad obsequium Legibus praestandum obstricti sunt. Qua de causa cum Serenissimus Legislator Saxonius sit summus protector ac defensor Iuris Saxonici, cui cura & conservatio istius potissimum commissa fuit in A.B. Tit. 5. Hinc in omnibus iudicis, in quibus Ius Saxonum autoritate pollet, plurimum Interpretationi & declarationi Electoris Saxoniae tribui, testatur Matth. Coler. de Process. Exec. Part. I. c. 2. n. 27. Wesenb. in Paratit. quib. appell. non lic. lit. a.n. 2. Quapropter magna differentia comprehenditur inter authenticam interpretationem, & eam, quae a iudice aut Icto facta fuit, quippe quae perpetua non gaudet auctoritate. L. 63. ff. d.R.I. Qua ratione vero Ictus in Legum interpretatione versari debeat, viam nobis monstrare voluit Imperator Iustinianus in Tit. d. Verb. Signif. & Reg. Jur. Cum igitur dictorum titulorum interpretatio publica, divina annuente clementia, a REVERENDISSIMO atque SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO, DOMINO MAVRITIO GVIELMO, EPISCOPATVS NVMBVRGENSIS ADMINISTRATORE POSTVLA- TO, DVCE SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE ac MONTIVM, ANGRIAE & WESTPHALIAE, ac RELIQUA, DOMINO & NVTRITIO MEO CLEMENTISSIMO, consentientibus reliquis SERENISSIMIS hu- ius Academiae NVTRITIIS, mihi haud ita pridem prævia Magnifici Icto- rum ordinis denominatione clementissime demandata fuerit, ita, ut OPTI- MI PRINCIPIS benignissimam de me voluntatem SERENISSIMVS ac POTENTISSIMVS REX & ELECTOR SAXONIAE, FRIDERI- CVS AVGVSTVS, PATER PATRIÆ LONGE CLEMEN- TISSIMVS, auctoritate sua confirmaverit; Haut abs re fore existimavi, ut solenni oratione, Officium Icti circa interpretationem Legum explicarem. Cui orationi, ut proximo die VI. Iun. post sacra matutina RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, VTRIVSQVE REIP. PROCERES cum lec̄tissima STUDIOSORVM corona in auditorio Ictorum Petrino haud gravatim interesse, & mihi differenti ad breve admodum tempus benevolum aurium usum commodare haud dedignen- tur, ea qua par est animi veneratione oro atque contendō. P. P. Feste Trinitatis A. O. R. clo Icc. VIII.

LIPSIAE,
Literis IMMANELIS TITII.

MC.

	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
	Centimetres																		
Blue																			
Cyan																			
Green																			
Yellow																			
Red																			
Magenta																			
White																			
3/Color																			
Black																			

Farbkarte #13

II R
625

B.M. II, 293. De Legib[us] & eorum interpretatione.
p. 56, 22.

RECTORREM
ACADEMIAE MAGNIFICVM
REIPVBL. VTRIVSQUE
PATRES CONSCRIPTOS
CVM FLORENTISSIMA
GENEROSISSIMORVM NOBILISSIMORVMQUE
COMMILITONVM CORONA
AD
ORATIONEM
QVA
PROFESSIONEM
TIT. DE V. S. & R. I.
AVSPICABITVR
AD D. VI. IVN. POST HOR. MATVT. VIII.
SVBMISSE ET PEROFFICIOSE
INVITAT
D. IOANN. FRID. OLEARIVS, P. P.

